



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

IX. Vtrum natura lapsa sit debilior, quam foret pura?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

QVÆSTIO IX.

Vtrum Natura Lapsa sit debilior, quàm foret Pura?



IDETVR non esse. 1. Quia communis Theologorum sententia est, non aliter differre hominem lapsum, à puro, quàm spoliatum à nudo; quod perinde est, atque vires Lapsi, & Puri hominis esse easdem; solumque eas amissas esse per peccatum, quæ per Gratiâ superadditæ fuerant. Quod colligitur ex Dion. 4. de diu. nom. aiente naturalia mansisse integra post peccatum tum in homine, tum etiam in Damone. Ex quo id ipsum desumpsit D. Thom. 1. p. q. 95. a. 1. qui præterea probat ibid. q. 85. a. 1. ad 2. Subiectionem appetitus respectu rationis; & huius respectu Dei, non esse Homini connaturalem, quia non permansit post peccatum.

2. Manentibus iisdem causis, manent iidem effectus; sed post hominis lapsum manent eadem causæ, quæ forent in statu naturæ puræ. Manent enim eadem primæ substantiæ, ex quibus mediâtè, vel immediâtè cætera omnia naturalia proficiscuntur necessariò; Igitur natura non est debilior post lapsum, quàm esset ante in pura natura.

3. Adamo retinente innocentiam, nec ipse, nec eius posterius fuissent melioris conditionis, quoad naturalia, quàm in pura natura. Ergo nec sunt deteriores, quia peccauit. Patet antecedens. Quia puræ naturæ nihil defuisset perfectionis sibi connaturalis. Consequentiam suadet iusta æquitatis ratio constituens paria commodi, & incommodi momenta ex innocentia, & peccato.

4. In pura natura peccatum primi Hominis non emanasset in posteros, nec eis quidquam nocuisset. Ergo nec de facto emanauit quoad naturalia, quæ scilicet sunt vtrique statui communia. Patet antecedens; quia est iuxta æquitatem naturalem lex à Deo constituta, ut filius non portet iniquitatem Patris sui, ex 18. Ezech. & Quia cum peccatum Patris non auferat à Filio naturam hominis, nec etiam potest auferre iura fundata in ipsa natura.

5. Paruuli decedentes cum peccato originali fructuantur iuxta communem sententiam, felicitate naturali, & sempiterna, perinde omnino atque fruerentur in pura natura, qui decederent absque vilo peccato. Ergo etiam adulti dum sunt in via, potiuntur omni bono naturali, habentque omnem sufficientiam, quæ adesset in statu puræ naturæ. Patet consequentia, quia peccatum originale non potest nocere plus in via, quàm in termino.

6. Ea respectu cuiusque substantiæ dicuntur connaturalia, sine quibus naturaliter & citra miraculum existere non potest. Non autem desunt ratione peccati miracula punitiua. Omnia ergo bona connaturalia perseverant, non obstante peccato.

7. Eadem prorsus ratione debentur naturæ humanæ omnia, & singula bona sibi connaturalia; hoc est omnia, quæ forent in statu puræ Naturæ. Sunt autem aliqua, quæ ratione peccati amitti non potuerunt; nec habentur de facto per Gratiâ superadditam creationi, ut videre, audire, ambulare. Ergo nulla sunt bona connaturalia negabilia ratione peccati, aut quæ propter ipsum de facto amissa sint, & restituta per Gratiâ.

8. Quæ sunt extra hominem siue fauentia ipsi, siue nocentia, eodem modo fluunt, & peragunt cur-

sus suos, iuxta naturam vnumquodque suam, pro illo naturæ lapsæ præsentis statu, quo peragerent, & fluere in statu puræ naturæ. Quæ autem sunt in homine, & intra hominem, naturaliter dependent ab exterioribus, varianturque necessariò iuxta eorum varietatem, & non aliter, exceptis actibus liberis. Ergo actus primus præcedens exercitium libertatis in actu secundo est æquè bene constitutus in statu naturæ lapsæ, ac puræ.

Art. 1. Resp. Bona vnicuique naturalia sunt in duplici genere; Aliqua namque sunt, quæ proveniunt ex determinata exigentia causarum naturalium, & vique aded sunt singulis entitatibus determinatè debita, ut citra miraculum negari non possint. Eiusmodi bona sunt, ex. gr. respectu grauium, motus deorsum, respectu leuium, motus sursum. Alia verò bona sunt tantum indeterminatè debita, & pronientia ab indeterminata causarum naturalium exigentia, ut cum eadem leuia, & grauia nequeunt ascendere per lineam rectam; possunt verò descendere, aut ascendere per plures lineas obliquis prorsus æquales, & æquè commodas ad ascensum, & descensum. Cuiusmodi euentus frequenter occurrunt, ex diuersis causis in motu locali, & circumuolutione assua rerum naturalium. Pertinet verò tunc determinatio ad Deum, Angelos, vel Dæmones; quia agens irrationale non potest ex se determinari, quando est conflictum inter effectus ac terminos æquales inter se. Ad determinationem porro motionum huiusmodi localium, consequitur sæpe longa catena commodorum & incommodorum, & diuersitatis affectionum in homine iuxta diuersitatem determinationis, & applicationis vniuersiusque causæ, ad vnumquodque passum. Hic est fons Gratiarum, quas Deus facere potest, quatenus est Auctor naturæ. Certum nimirum est, Deum præcisè, ut auctorem naturalem posse plura disponere gratiosè in fauorem alicuius, quin patret miracula. Nec enim toties à Deo miracula poscimus, quoties ab ipso poscimus Sanitatem, Serenitatem, & alia eiusmodi quamplura. Nec tamen potest Deus annuere his precibus absque miraculis, si non habuit in potestate determinationem aliquarum causarum naturalium ex se indifferentium, ut iis, vel illis subiectis, sic vel aliter applicentur.

Art. 2. Dicendum iam est naturam lapsam esse omnino æqualem puræ, quoad ea omnia bona, quæ proueniunt ab exigentia causarum naturalium ex se omnino determinata; Id quod efficaciter conuincunt rationes dubitandi, quæ præmissæ sunt. Cæterum quoad bona naturalia, quæ pendunt ex indeterminata, quantum est ex se, causarum naturalium exigentia, & à libera earundem determinatione pertinente ad Deum, natura lapsa est deterioris conditionis, quàm foret pura; ideoque absolute illa est debilior, quàm ista foret. Ratio est, quia dum Deus denixit voluntati Adami Dona Gratiæ supernaturalis, respectu posterorum, procul dubio deuinxit eidem omnia dona gratiosè, & liberaliter conferibilia iisdem intra ordinem naturæ. Qui enim fecit hereditarium cumulum Gratiarum maiorum, & sublimiorum, credi rationabiliter non potest, non etiam fecisse hereditarium dependenter ab eadem primi parentis voluntate, cumulum minorum, ac inferiorum Gratiarum contentarum intra ordinem naturæ. Quapropter amissis donis supernaturalibus ratione peccati, amissa simul sunt bona etiam naturalia, conferibilia naturaliter, sed & negabilia absque miraculo. At pro statu naturæ puræ Deus prouideret singulis, iuxta naturam suam beneficam, nullo existente impedimento vniuersali beneficentiæ diuinæ, ratione peccati originalis, quod pro eo statu est impossibile. Contulisset ergo singulis plus minus de eiusmodi bonis.

nis, iuxta maiorem, aut minorem cuiusque probitatem aut improbitatem, nec denegatio eorum serperet vniuersaliter per omnes, aut pro omnibus opportunitatibus. Ob hanc igitur rationem natura lapsa est absolute debiliior, quam foret pura, propter diminutionem bonorum pendentium à causis naturalibus intrinsicè indifferentibus, quantum est ex se, quam natura pura nequaquam pateretur; quia pro eo statu non potuisset intercedere pactum, quale de facto intercessit cum primo homine.

Art. 3. Et quidem aliquam debilitatem maiorem virium inesse, quocumque demum modo id explicetur, quam foret in natura pura, tria quædam efficaciter persuadent. Primum est, hominem ratione peccati originalis inductum esse in Dæmonis seruitutem, eiusque assidue tentandi potestati, & vsui subiectum existere. Alterum est, homini lapsa deesse inter alia, si non adiueretur per Gratiā, potestatem moralem seruandi totam legem naturalem. Tertium, sic hominem esse spoliatum gratuitis ratione peccati, ut simul vulneratus sit in naturalibus, iuxta communem intelligentiam Parabolæ, quæ habetur Lucæ 10. Quæ tria Principia, ne quidem ab Auctoribus rationum dubitandi negantur, nec negari vllō pacto possunt, propter obuias, & manifestas Auctoritates sacras, quibus stabiliuntur. Nihil autem ex illis tribus adfuisse homini in statu naturæ puræ. Non primum, quia nulla fuisset iusta causa subdendi Dæmoni, & eius tentationi hominem innocentē; eiusque conditionem reddendi vsque adeo deteriozem, propter solum peccatum, & inde contractam iniquitatem alterius. Non secundum; quia, ut liquet ex quæst. 3. Homini innocenti debetur ex natura rei sufficientia, non solum physica; sed etiam moralis, ad seruandam totam legem naturalem, & ad obtinendum suum vltimum finem naturalem. Non tertium, quia natura pura, non solum spolianda non foret bonis sibi connaturalibus, verum neque vulneranda in illis vlla ex parte; cum eo ipso pura futura non foret, id est, nihil magis, nihilque minus habens, quam ipsa ferat ex se; & spectata benefica conditione creatoris sui. Negari igitur non potest, quin natura lapsa, sit ratione lapsus aliquatenus debiliior, quam foret pura.

Ad 1. Comparatio spoliati cum nudo congruit naturæ lapsæ, & puræ; quoad bona deuincta exigentiæ determinatæ, cum ipsius naturæ humanæ, tum cæterarum causarum naturalium. Hæc nimirum sunt, quæ adhærent tanquam vestes permanentes, & vni-formiter, cum cætera varientur ex natura ipsa causarum. D. Dionysius procul dubio est intelligendus de iisdem solis bonis, quandoquidem in sua assertionem complectitur statum Dæmonis, qui est status æternæ damnationis, quæ priuat omni gratioso causarum naturalium occurſu, & multis proinde bonis naturaliter absolute possibilibus; & relinquit voluntatem propè infinite debiliorem, quam foret in statu naturæ puræ. D. Thomas rectè infert subiectionem appetitus, & rationis non esse connaturalem, ex eo, quod amissa sit per peccatum. Quia qui existimant illam esse naturalem, putant eandem esse proprietatem necessariò consequentem ex natura hominis secundum se, ad eum modum, quo ad eandem consequitur subiectio potentia loco motuæ aliarum potentiarum exteriorum; quæ subiectio non inest homini ex causarum naturalium exigentiā indeterminata. Nihil igitur ibi habetur aduersus debilitatem naturæ lapsæ fundatam in defectu bonorum pendentium ab actiuitate, & exigentiā indeterminata causarum naturalium.

Ad 2. Manentibus iisdem causis cum eadem determinatione, & applicatione ad agendum, manent iidem effectus; non tamē ea variata. Ostensum au-

tem est, applicationem, & determinationem causarum naturalium esse diuersam, minusque favorabilem, quoad aliquos effectus pro statu naturæ lapsæ, quam foret pro statu naturæ puræ.

Ad 3. Negatur, Adamo retinente innocentiam, non fuisse futuros melioris conditionis, tam ipsum, quam eius posteros etiam quoad naturalia, quam forent in pura natura. Quia in statu puræ naturæ, non fuisset initum pactum à Deo, de determinandis fauorabiliter omnibus, & singulis causis naturalibus, quoties essent ex se indifferentes ad euentus magis, & minus prosperos, aut ad prosperos, & impropros respectu hominis. Quod tamen pactum de facto intercessit, ut dictum est. Præterea elenatio hominis in finem supernaturalem, cum tot aliis dotibus ei annexis compensationem faceret plusquam æqualem contingentia amittendi aliqua bona ad futura in statu puræ naturæ. Atque hinc patet etiam ad quartum. Quia superadditis tot gratuitis, non est contra æquitatem rationis naturalis, ut filius portet iniquitatem Patris sui, quoad omnia gratuita siue naturalia, siue supernaturalia; utpote quæ deficere possunt, manente natura hominis, nec non & iis, quæ ad eandem naturam omnino determinatæ, & necessariò consequuntur.

Art. 1. Ad 5. Æterna paruulorum decedentium sine Baptismo conditio, & status, res est valde obſcura, & incerta, fatente Augustino l. 5. contra Iul. c. 8. se non posse definire, quæ, qualis, & quanta futura sit eorum damnatio. Cæterum eos damnari, in eadem ista confessione tanquam certissimum supponit, & meritò, propter multa Scripturæ testimonia, quæ ipse vrget variis in locis contra Pelagianos; & ex eo Bellarminus, aliis præterea efficacibus probationibus superadditis tom. 4. contr. 2. l. 6. c. 2. Damnari, inquam, non solum, quia carent visione Dei, sed etiam quia non consequuntur beatitudinem naturalem in suo genere perfectam, & adæquatam, collocati in loco subterraneo, seu inferno, & destituti dispositione ad cognitionem naturalem perfectam Dei, & cæterarum rerum, & puncti dolore licet admodum miti de ista sua sorte; atque de eius perennitate. Quod ut minimum concedatur necesse est vrgentissimis eam in rem auctoritatibus, quas dictum est à Bellarmino cumulari. Quare ex hoc capite, vltique adeo non subruitur maior debilitas naturæ lapsæ viatricis, ut potius quammaximè roboretur.

Art. 2. Neque mirum videri cuiquam debet, quod dicitur, de sorte decedentium sine Baptismo, & sine peccato personali. Quia ius ad beatitudinem naturalem fundatum in dignitate humanæ naturæ secundum se, non est ita absolutum, ut non sit capax exceptionis, proindeque aliquatenus conditionatum, & contingentia expositum, quandoquidem per se loquendo, conuenit homini ex sua natura, ut perueniat ad vsum rationis, & libertate tunc potiatur merendi beatitudinem, eamque amittendi, ac incidendi in magnam, & vndequaque cumulatam miseriam. Quare illi, qui decedit ante vsum rationis, nullo sibi quæsito fauore supernaturali, rationabiliter detrahatur de beatitudine naturali quantum interest contingentia eam commutandi cum magna illa, & summa miseria. Quò accedit istam contingentiam esse de facto maiorem, & prouocantem in deterius, propter imbecillitatem inductam per peccatum originale, ut expositum est. Neque iniustum esse, ut existenti meliore conditione primi hominis hereditaria respectu nostri, si ipse voluisset, quoad operationes etiam naturales, ratione doni integritatis naturæ, & pacti initi, quoad naturalia gratuita, sit etiam aliquatenus deterior nostra conditio, quam foret in pura natura, ratione peccati ab eodem primo parente commissi, idem

idemque peccatum transmittatur ad posteros, adiuncta priuatione aliquorum bonorum absolute possibilium intra limites naturæ tam in via, quam in termino; tamen in pura natura, nulla eiusmodi transmissio futura fuisset. Quia videlicet dependenter ab innocentia conseruatione habituri similiter eramus virum, bonorumque naturalium feliciorum utrobique statum.

Ad 6. Iam dictum est aliqua esse bona naturaliter possibilium, quibus priuari quisque possit absque miraculo: quare punitio peccati per priuationem aliquorum bonorum connaturalium, non est ex suo conceptu miraculosa, sed talis, ut citra omne miraculum possit induci per peccatum.

Ad 7. Iam constitit, non eadem prorsus ratione deberi naturæ humanæ omnia, & singula bona sibi conferibilia naturaliter, sed aliqua esse, quibus citra miraculum destitui non potest; alia quibus potest citra miraculum priuari. Atque hæc posteriora posse negari ratione peccati non solum personalis, sed etiam originalis.

Ad 8. Dicitur similiter. Quæ sunt extra hominem, siue fauentia ipsi, siue nocentia, eodem modo necessarii fluere semper, quoad aliquos effectus; non vero quoad omnes; & induta varietate quoad istos ratione peccati, posse inde subsequi intra ipsum hominem, variationem debilioris dispositionis ad bonum. Deinde intra ipsum hominem est tantus, & tam assiduus fluxus, & refluxus humorum, & spirituum vitalium gerentium in se phantasmata commotiuæ appetitus sensitiui, & inde rationis, ut facile, & frequenter eueniant indeterminaciones illæ superius descriptæ motionum localium versus hanc, vel illam partem: ex determinatione quarum facta à Dæmone, per potestatem, quam habet ad tentandum ratione peccati, potest multipliciter induci debilitas non parua in voluntate respectu boni honesti.



QVÆSTIO X.

Vtrum repugnet Status Naturæ puræ, quoad concupiscentiam non subiectam Rationi?



IDEATUR repugnare. 1. Quia laudabile est repugnare concupiscentiæ. Non est autem laudabile, resistere bono, & motionibus à Deo datis. Ergo concupiscentia, & eius motus non sunt à Deo; sed proueniunt ex peccato. Ergo renugnat, ut insint naturæ puræ, & nondum maculatæ peccato.

2. Pudicitia est bona, eademque est contraria concupiscentiæ, & data homini, ut pugnet cum illa. Bonum autem non est contrarium bono, nec Deus dat aliqua sua dona, ut pugnemus cum aliis suis donis; sed ex solo peccato esse potest pugna aduersus dona Dei. Ergo repugnat, ut concupiscentia insint ante peccatum.

3. Concupiscentia est materia pudoris, & erubescentiæ, ut patet ex subuentione foliorum à primis hominibus quæsitæ. Quæ autem bona sunt, & existunt auctore Deo, non possunt esse materia erubescentiæ, sed solum peccatum; & quæ à peccato procedunt, talis materia esse possunt.

4. Motus concupiscentiæ sunt desideria peccatorum. Desideria autem peccatorum, & id vnde ipsa necessariò proueniunt, sunt mala, nec habent auctorem Deum, tamen illis resistatur; Ergo solum ab homine peccante prouenire possunt.

5. Contra naturalem, & iustum rerum ordinem est, ut pars inferior non subsit superiori, hoc est, concupiscentia rationi rectæ, idque ad nutum, quod solum præstare potest donum integritatis, auferens essentia liter puritatem naturæ, quoad concupiscentiam non subiectam rationi. Malum autem est, quod est contra rectum ordinem rerum, nec potest Auctorem habere Deum, qui non nisi ordinatissimè facere quidquam potest.

Adde omnia quæ in istis quinque Argumentis assumuntur, frequenter, & expresse doceri ab Augustino, & luculenter comprobari l. 4. 5. & 6. contra Iulianum l. 1. & 2. Operis imperfecti. Libris duob. de peccato originali, & totidem aliis de Nuptiis, & Concup. & alibi, ut necesse minimè sit loca singula notare. Ex quibus locis arguitur præterea.

6. Quia Augustinus probat in illis existentiam peccati originalis ex propagatione concupiscentiæ ab Adamo in omnes eius Posteros. Quare admissa possibilitate concupiscentiæ, & motuum eius in homine innocenti, euanesceat præcipua, & ferè vnica peccati originalis probatio apud Augustinum, qui scilicet semper opponit aduersus Pelagianos negantes peccatum originale tot, & tam magna mala, quæ modò recensita sunt concupiscentiæ connexa, non nisi à peccatrice voluntate induci potuisse.

7. Repugnat hominem condi absque subiectione rationis ad Deum, siquidem repugnat eundem condi absque dilectione Dei, veritatis, & iustitiæ, ut liquet ex testimoniis adductis quæst. 8. in ratione dubitandi. Quæ dilectio continet in se subiectionem rationis ad Deum; Subiectio autem rationis ad Deum est causa subiectionis concupiscentiæ ad rationem, ut docet ex eod. Augustino D. Th. 1. p. q. 95. a. 1. Ergo repugnat hominem condi absque subiectione appetitus ad rationem.

Art. 1. Resp. Status puræ naturæ in conceptu suo adequato includit duo. Primum, defectum ordinationis ad vltimum finem supernaturalem constitutum in visione Dei immediata; & consequenter defectum donorum omnium supernaturalium, quibus homo perducit in eum finem. Deinde includit defectum subordinationis perfectæ in appetitu inferiori, seu concupiscentia respectu rationis. Examen possibilitatis condendi hominem absque ordinatione ad visionem Dei immediatam, iam iterum reiectum est ad quæstiones de Deo, ut ad proprium locum, & Argumenta aduersus eam possibilitatem sunt faciliora soluta, quam quæ proposita sunt aduersus possibilitatem condendi hominem absque subiectione concupiscentiæ ad rationem. Hæc enim argumenta sunt apparentiæ maioris; sed soliditatem nihilominus nec ipsam vllam habent. Manifestum namque est, ut dicit D. Th. loco nuper citato, quod subiectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad Rationem, non erat naturalis. Alioquin post peccatum mansisset: cum etiam in Demonibus data naturalia post peccatum permanserint, ut Dionysius dicit 4. c. de diu. nom. Nempe si necesse fuisset hominem condi cum subiectione appetitus, & concupiscentiæ ad Rationem, necesse utique id fuisset necessitate fundata in nativâ conditione, & existentia intrinsecè determinata Rationis superioris, & concupiscentiæ, & appetitus inferioris. Dictum vero est, quæst. præced. quæ tali necessitate conseruata sunt vniuersi cuiusque naturæ, non amitti per peccatum. Cum igitur experientia constet, & ex multis locis scripturæ, eiusmodi subiectionem amissam esse per peccatum, clarè concluditur, talem subiectionem non esse homini debitam ex natura rei, sed gratuitam, & supernaturalem. Atque adeo creati illum, atque conseruari potuisse absque eo dono subiectionis concupiscentiæ.

Art. 2.